

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, die Jovis vigesimâ-secundâ mensis Octobris, anno Domini M. DCC. LXI.

M. PETRO-ANTONIO LEPY, Doctore Medico, Præside.

An bis in die cibari præstet quàm semel?

I.

VIX à sanitate descisceret homo, si semper suî mentisque compos, parenti Naturæ docilis viveret & obsequiosus; sed eheu! Imbecillem deludit voluptas, ut jam sensuum servus magis quàm moderator, brevi à rectâ vivendi ratione decedat, nec nisi pravos vitæ mores, pessimasque consuetudines amplectatur. Talem propè dixerim quæ ævo nostro, & plus sanè

nimio invaluit, ſtomachum unâ & ſolutâ refectione ſaturare ut ad poſtridiem & ſæpiſſimè ad nauſæam uſque faſtidiat ; quæ quam inordinata ſit & vitæ incolumitati adverſa, non tantummodò ratione, ſed etiam universâ naturæ inſtitutione monſtratur.

I I.

INTER tenaciſſimos ejus conſuetudinis ſectatores permultos videris imò plerosque omnes qui mensâ plurimùm delectati, lautis longiſque epulationibus voluptantur, & tunc primùm fami ſatisfeciſſe putant cùm Omaſum eò repleverint, ut cibo cuicumque vel etiam leviſſimo repugnet. Adeòne mirum eſt, ſi ità ſaturati paſtu unico ad diem contentos ſe jactitent ? Longè temperantiùs agere videntur greges, armenta & cætera cujuſque generis animantia, quæ cùm nihil ultrà naturam moliantur, nuſquam etiam ultrà ſatietatem depaſcunt, novâ ſemper appetentiâ gaudent; pabulo frequenter indulgent, vix tamen unquam tardâ aut imperfectâ ingeſtorum coctione moleſtantur. Quin etiam nec diverſo ſed ſimili propè more fœlices vivunt Ruricolæ, Operarii, qui diuturno labore exercitati, revigente ſemper appetitu, tam crebro quàm ſimplici victu reficiuntur, nec magis de ſingulo ſumunt quàm expetit naturæ modus & neceſſitas : vivunt tamen, imò quod ſumma voluptas eſt, vegetiores ad laborem, vitam & ſanitatem evadunt. Adeò indubitatum eſt nullum extrà naturam rectum conſiſtere, ipſamque unam eſſe veræ rationis documentum : nam

> Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.
>
> *Juv. Sat. XIV.*

I I I.

HALLUCINANTUR ergò qui ſtomachum aſſiduo uſu defatigari prætexentes, ſuum ipſi interdùm permitti otium, adeòque paſtum unum ad diem ſufficere volunt, ne conſtanti exercitatione fatiſcat. Minùs enim franguntur vires quæ perpetuum in uſum quàm quæ præter modum impenduntur, ut docet Mechanices, probante perenni cordis & arteriarum pulſu ; quin imò vel ipſâ experientiâ conſtat fortius robur ab unâ & aſſiduâ agendi conſuetudine comparari, cùm quotidiè videamus inter curſores, bajulos, rotatores & diverſos diverſi modi operarios, eas magis vigeſcere corporis partes quæ minùs impenſo ſed frequentiori

labore exercentur. Eâdem lege vivit ventriculus, qui glandulæ ſimul & muſculi vices gerens, nunquam adeò viget quàm cùm lentâ & molli ſed non intermiſſâ vaſorum fibrarumque actione operatur.

I V.

GASTRUM contrà ægreſcere viderimus cùm rarâ epulatione refectus, totum unâ vice abſumit quod duabus reciperet: tum enim ultrà vires repletus eò uſquequàque diſtenditur, ut divaricatæ ipſius fibræ, brevì nativum elaterem perdant, perdito elatere flacceſcant, & ſic tandem terendis ſubigendiſque alimentis ineptæ fiant & impares; adde quod parca menſtrui quantitas nimiâ ingeſtorum farragine diffuſa, vel ſolidis ità abſorbetur, vel liquidis ità diluitur, ut non modò nulli diſſolvendo ſufficiat, ſed etiam à ſuâ indole deſciſcat & ſæpiſſimè morboſam putidamque naturam induat. Undè ructus, nidores, nauſeæ, vomitus, prava ſtomachi diſpoſitio, ciborum corruptio, alvi fluxus, morborum omne genus; quod apud eos videre eſt qui gaſtrimargiæ dediti, ſaginamque pro vitâ & arte habentes, ventriculum non modò explendo, ſed onerando ità fatigant, ut debitâ coctione adeòque validâ nutritione fraudati, obeſi, tardi, ſomnolenti, vitam brevem & vix non totam in infirmitate conſumant.

> Omne nocet nimium, modicis eſt longius ævum:
> Summa cadunt, durant ſed moderata diù.

V.

SUNT autem nonnulli ita parùm edaces, ut ipſis ad diem una tantum aut altera alimenti libra ſufficiat, an etiam iſtis dividatur paſtus? Bipartitus ſanè meliùs decoquetur, habilior reſurget gaſter, revigebit appetitus, & ſenſìm ſine ſenſu vices ſuas reſumet natura; ſunt alii qui totâ die negotiis impediti, non niſi ſemel & veſperaſcente die, cibari poſſunt aut volunt; ſunt tandem alii quibus cœna, alii quibus prandium magis arridet, quorumque permulti à viginti aut circiter annis cœnare, vel prandere tantummodò ſueſcunt; an etiam ipſis mutetur vitæ ratio? Abſit. Periculoſum enim ſæpè ab aſſuetis deſueſcere, ſed meliùs nullam niſi naturâ duce amplecti conſuetudinem, meliùs frequenti cibo indulgere, quippè eo pacto ſemper moderatè premens eſuries

nunquam ad immoderatam ingluviem pellit, adeòque ſæpiùs & modicùm appetens ventriculus, tutiùs ſatiatur quin nimio ingurgitetur venter, facilior fit coctio, nutritio perfectior, omnes denique liberiùs abſolvuntur functiones ad vitæ & ſanitatis emolumentum.

Ergò bis in die cibari præſtat quàm ſemel.

Proponebat Pariſiis SIMON VACHER, Biſuntinus, in Univerſitate Biſuntinâ Doctor Medicus, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus, necnon exercitûs Regii in Inſulâ Corſicâ nuper Medicus, Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1761. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1761.